

puncto sententia Alensis improbabilis est, ita minorem facit fidem in puncto, de quo disputamus. Eandem vero sententiam tenet Bonavent., in 4, dist. 4, 2 part. dist., art. 4, quæst. 2, ubi negat, posse baptismum sanguinis conferre gratiam gratum facientem, aut remittere culpam mortalem, quamvis de parvulis nihil expresse loquatur; Palud. etiam dist. 4, quæst. 3, art. 4, ubi prius negat baptismum sanguinis habere effectum ex opere operato, aut sine prævia contritione posse ad salutem prodesse; postea vero tribuit illi effectum remittendi omnem culpam originalem, et mortalem, et omnem pœnam, et in parvulis dicit supplere altiori modo effectum baptismi aquæ. Quæ non videntur satis consequenter dicta, nam, si martyrrium, ut sit fructuosum, supponit contritionem et gratiam, et non habet fructum nisi ex merito operantis, quomodo delet culpam originalem aut mortalem, cum necessario supponat illam remissam per contritionem et gratiam? Quomodo ergo supplet in parvulis baptismum aquæ, si non dat illis aliquo modo effectum ex opere operato? Aut, si dat illis, cur non etiam adultis? Durandus etiam ibi, quæst. 8, lubricus est in hac parte, nam in fine quaestionis, in solutione ad tertium, videtur favere huic sententiæ, dum ait, martyrrium requirere charitatem patientis, quamvis non a sola illa habeat efficaciam; prius tamen, n. 6 et 8 dicit, per martyrrium remitti culpam perfectius, quam in baptismo aquæ, et ideo non minus operari ad salutem, et propterea vocari baptismum sanguinis. Tandem huic sententiæ multum favet D. Thom., supra, quæst. 66, art. 12, ad 2, ubi sic inquit: *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate*. Ex quo patet, quod baptismus sanguinis includit baptismum fluminis. Ex recentioribus vero acriter defendit hanc sententiam Cano, Relect. de Pœnit., part. 3. Potestque in ejus favorem citari Bernardus, epist. 7, ubi generatim dicit, sine charitate nullum sacrificium esse Deo acceptum, etiam martyrrium, juxta illud primæ ad Corint. 13: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; specialius idem Bernard., epist. 77, circa medium, significat, martyrrium non supplere vicem baptismi, nisi ex fide et merito suscipientis; quod est re ipsa negare ipsum martyrrium supplere vicem baptismi; sed meritum ipsum, seu veram conversionem in Deum, quam supponit, bap-

tismi vicem supplere. Unde subdit idem Bernardus, si deesset externum martyrrium, internam fidem et voluntatem esse sufficientem dispositionem ad justitiam.

8. Fundamentum hujus sententiæ facile constat ex dictis; nimirum quod martyrrium, cum non sit verum sacramentum, non dat gratiam ex opere operato; ergo non potest per se remittere culpam; ergo non potest per se supplere vicem et necessitatem baptismi aquæ. Patet hæc ultima consequentia, quia primaria necessitas baptismi aquæ est ad remittendam culpam; ergo quod non potest remittere culpam, non potest supplere vicem baptismi.

9. *Martyrium obtinet vim baptismi aquæ in adultis*. — Dico tamen primo: simpliciter et absolute fatendum est, martyrrium obtinere vim baptismi aquæ in adultis, atque ita posse supplere vicem ejus, quando non voluntatis contemptus, sed necessitas cogit pati martyrrium absque baptismo aquæ. Ita docet D. Thom. supra, quæst. 66, art. 11, et infra, quæst. 87, art. 1, ad 2, et plures alii Theologi quos inferius referam. Præcipue tamen probatur hæc veritas ex Patribus, adjunctis Scripturis, quas ipsi in hanc rem adducunt, et interpretantur. Imprimis Clem. Papa, lib. 4 Constit. Apost., cap. 7: *Qui martyrrium, inquit, consequi meruit, gaudeat in Domino, quod tantam coronam est adeptus; et quamvis fuerit catechumenus, lætus discedat; passio enim, quam pro Christo sustinet, cedit in veriorum baptismum, quoniam ipse re ipsa commoritur Christo, alii in figura*. Ubi non tantum voluntati, sed ipsi passioni, hunc attribuit effectum; et rationem sumit ex ipsa reali conformitate ad Christum, quæ per ipsam exteriorem mortem et passionem fit altiori modo, quam per exteriorem ablu-tionem. Quam rationem insinuant alii Patres citandi, eamque D. Thom. et alii Scholastici amplectuntur, et est optima congruentia ad explicandam promissionem et institutionem Christi, quæ est prima radix et fundamentum hujus veritatis. Præterea Cypr., epist. 73, sic scribit: *Numquid potest vis baptismi esse major aut potior, quam confessio? quam passio? ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et suo sanguine baptizetur?* Ex quo principio concludit inferius, cui prodesse non potest martyrrium, nec baptismum aquæ posse prodesse; nam illius vis major est; igitur ex mente Cypriani constat, si baptismus aquæ potest prodesse homini habenti originale, vel

actuale peccatum, ad tollendum illud, baptismum sanguinis posse eidem prodesse; præsertim si ex parte affectus ipsius hominis non sit major repugnantia. Quod aperte confirmavit idem Cyprian., in expositione orationis dominicæ, circa illa verba: *Et dimitte nobis debita nostra*, dicens: *Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest abluere? quale crimen est, quod nec martyrrio potest expiari?* quasi dicat, nullum, præter ipsum actuale affectum peccati, ut inferius declarat. Similia habet in serm. de Stella et Magis, ubi eodem modo præfert baptismum sanguinis baptismum aquæ; sic etiam Augustin., 13 de Civit., cap. 7: *Quid pretiosius, quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur?* quam vim dicit habere martyrrium ex Christi promissione: nam, sicut ille dixit Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, ita dixit Mat. 10 et 17: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*; significat autem Augustin. eodem loco, neminem posse martyrrium pati sine gratia et charitate, dicens: *Quando sine abundantia gratiæ et spiritus tantum Christum amare possit homo, ut eum in tanto vitæ discrimine, sub tanta spe veniæ, negare non possit?* Sed hæc verba intelligi possunt de gratia excitante, et adjuvante, et de amore, opere ipso exhibito; gratia enim habitualis, quamvis et multum conferre possit, et, moraliter loquendo, frequentius antecedit, non est tamen simpliciter necessaria, ut per se manifestum est.

10. Præterea, quod baptismus sanguinis per se sufficiat loco baptismi aquæ, aliis locis frequenter docet Augustin., ut lib. 4 de Baptismo, cap. 22, lib. 4 de Anima et ejus orig., cap. 9, et de Eccles. dogm., cap. 74, ubi dicit Augustin. vel potius Gennadius, omnia peccata remitti in baptismo, in martyrrio autem extingui. Et eodem modo loquitur Ambros., lib. 4 de Pœnit., cap. 2, ubi ponderat, dixisse Christum distributive seu universaliter: *Omnia, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*. Postea vero indefinite addidisse: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et eum coram Patre meo*, Mat. 10, Luc. 12: *Ut quod est, inquit, miserationis, exaggeret, quod est ultionis, extenuet*; et idem fere est, quod Augustin. ait, lib. de Vera et falsa pœnit., cap. 5, id factum esse ad significandum, etiam maximis peccatoribus posse

prodesse martyrrium. Eandem sententiam docuit Prosper, in lib. Sentent., in 149, dicens: *Qui non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis*. Multa etiam ad hanc rem habentur in lib. de Singularitate Clericorum, qui tribuitur Cypriano, et existimatur esse Origenis, cap. 20, ubi inter alia dicitur: *Martyrium appellatur tam baptismus, quam corona, quia baptizat pariter et coronat*. Ruffinus etiam, in Expositione symboli, cap. 16, per aquam et sanguinem, quæ manarunt de latere Christi, dicit, significata esse duo baptismata, aquæ et sanguinis. Unde Cyrillus Alexand., lib. 2 in Levit., dicit primum remedium ad remissionem peccati esse baptismum aquæ; secundum autem esse martyrrium.

11. *Cur martyrrium dicatur supplere vicem baptismi aquæ*. — Et consentiunt alii Patres, qui inter baptismata martyrrium numerant, ut Greg. Nazianz., Orat. 39; Ambr., serm. 3, in Psalm. 118; Tertul., lib. de Baptismo., cap. 16. Nec minus favent, qui, tractantes de necessitate baptismi aquæ, excipiunt baptismum sanguinis, ut Cyrillus Hierosolym., catech. 3: *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres*. Et Fulgentius, de Fide ad Petrum, cap. 3: *Absque sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine baptismo pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam*. Et eandem exceptionem facit Bernard., epist. 77, et alii Patres supra relati tractando de necessitate baptismi; qui omnes evidentius de adultis, quam de infantibus loquuntur; hæc autem exceptio nullius momenti esset, si martyrrium per se ipsum non posset aliquo modo salvare hominem, et a peccato mundare et hoc modo vicem baptismi aquæ supplere. Nam si totum esset semper referendum in meritum et dispositionem hominis, nullam exceptionem martyrii facere oporteret; tum quia posita illa dispositione, sine martyrrio salvaretur homo: tum etiam quia nunc proprie non salvatu per martyrrium, sed per baptismum aquæ ir voto contento in dispositione per se sufficiente ad salutem. Unde tandem fit, ut nulla alia ratione possit ratio baptismatis martyrrio accommodari, si per se non suppleat vicem baptismi aquæ, et id præstet, quod daret baptismus aquæ, si adesset, scilicet spiritua-lem ablu-tionem ab omni culpa. Atque hinc

petenda est ratio conclusionis positæ; dicitur enim martyrium supplere vicem baptismi aquæ, ratione effectus, scilicet, quia per se est sufficiens remedium ad salutem, deficiente baptismo aquæ. Ratio autem hujus effectus habet quidem magnam congruitatem in ipso opere, tum propter magnam difficultatem ejus, tum quia de se est opus et signum maximæ dilectionis, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; tum etiam quia in eo opere est quidam virtualis contemptus omnis boni creati, et inferioris ordinis, propter Christum; tum maxime quia re ipsa configuratur homo Christo, ut supra dicebamus. At vero proprium fundamentum habet hic effectus in Christi promissione, quam ipse significavit in locis Evangelii supra citatis; et sancti Patres explicuerunt, et usus ac traditio Ecclesiæ. Cum enim ostensum sit martyrium habere hanc vim circa infantes, non tantum in aliquo singulari facto, sed etiam communi et statuta lege, constat non aliunde manasse, nisi ex divina promissione, quæ adhuc durat, et durabit usque ad finem sæculi; non est autem, unde hanc promissionem ad solos infantes limitemus, cum verba Christi sint universalis; imo expressius videantur ad adultos pertinere, cum Patrum et Ecclesiæ sensus huic universali interpretationi magis faveat. Hinc enim est illud Innocent. III, in cap. Cum Marthæ, de Celebratione Missarum: *Injuriam facit martyri qui orat pro martyre*; quod sumptum est ex August., serm. 5, de Martyribus, serm. 27 de Verbis Apostol., tract. 84, in Joan.: *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*; certavit enim contra peccatum, usque ad sanguinem. Quæ verba ultima indicant optimam congruentiam; maxime enim decet, ut Deus condonet peccata ei, qui contra peccata tam fortiter dimicat. Hinc etiam est illud Tertulliani in Apolog., in fine: *Quis non patitur excipiat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat*; omnia enim huic operi delicta donantur. Qui etiam in Scorpiaco, c. 6, Martyribus accommodat illud, Ps. 31: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*; proprie enim, inquit, martyribus nihil potest imputari, quibus in lavacro vita ipsa deponitur. Sic etiam Cypr., lib. de Laudibus Martyrii, in fine, concludit: *Igitur, cum ad exemplum Dominicæ passionis, atque ad omne testimonium Christi, animam tuam ponas, ne fundere san-*

guinem metuas, martyrio necesse est, ut totum cadat, martyrii inestimabilis gloria, infinita mensura, et quæ sequuntur; quibus tandem adjungit, hoc totum esse divinæ promissionis et muneris. Hinc denique est communis ille consensus Theologorum omnium, martyrem statim in cælum evolare, de quo late tractant Clemens Alexandrinus, lib. 4 Stromatum, et Cyprianus, epist. 52; constat autem hoc non posse certo et infallibiliter convenire martyrio ex solo merito, vel satisfactione operantis; possent enim interdum tanta esse peccata, et peccatorum reatus, et e converso tam leves dolores mortis, et tam remissa et imperfecta voluntas patientis, ut ex solo opere operantis non sufficerent ad perfectam, et condignam satisfactionem; necesse est ergo fateri, intervenire hic aliquam divinam promissionem, et extraordinariam legem seu privilegium martyrio concessum. Hinc ergo habet prædictam vim, ut vicem baptismi supplere possit.

42. *Baptismo sanguinis quid obtineri possit.* — Ex his infero, et dico secundo, in baptismo sanguinis obtineri posse remissionem culpæ originalis et mortalis, et consequenter gratiam, non solum, quoad augmentum, sed etiam quoad primam ejus infusionem. Ita fere colligit D. Thomas infra, quæst. 87, art. 1, ad 2, dicens: *Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, et purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inherentem*. Ubi Cajet. eandem sententiam satis indicat, neque ei contradicit, 2. 2, quæst. 124, art. 2, circa ad 2, quamvis obscurius ibi loquatur. Favet etiam Durandus supra dicta quæst. 8, n. 10, neque in solut. ad tertium contradicit; nam, licet dicat martyrium requirere charitatem, non tamen explicat, an requirat illam, ut antecedentem, vel ut consequentem; subdit tamen, martyrium non habere totam suam efficaciam ex charitate, sed ex causa patiendi, et ex conformitate ad passionem Christi; citari etiam solet pro hac sententia Gabriel in 4, dist. 4, quæst. 2, ubi nihil fere dicit, quod ad causam satis spectet. Apertius loquitur D. Thom. ibi, quæst. 3, art. 3, q. 4, ubi dicit, utrumque baptismum, aquæ, et sanguinis habere efficaciam a passione Christi; tamen quia baptismum aquæ configurat Christo sacramentali significatione, ideo excedere in sacramentali effectu, qui est character; baptismum autem sanguinis, quia configurat Christo realiter, per veram confor-

mitatem in reali passione et morte, ideo operare in re sacramenti, quæ est gratia, quia, et gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti, et amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit, et remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque baptismus omnem culpam et poenam tollit, tamen in baptismo sanguinis efficacior est, et fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, ut Damascenus dicit; et statim id confirmat exemplo infantium, nam eadem ratio (inquit) est de adultis non ponentibus obicem. Atque idem repetit dist. 16, quæst. 2, art. 2, quæstion. 2, ad 3, ubi habet eadem verba, quæ in hac 3 parte, loco citato, scripsit, scilicet: *Passio pro Christo suscepta vim baptismi obtinet; et ideo purgat ab omni veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem renitentem invenerit*; quod ideo adverto, ut constet D. Thom. eandem sententiam, quam in 4 tenuerat, in hac 3 parte docuisse, et in eodem sensu fuisse locutum. Atque ita sentiunt moderni ejus expositores: Soto in 4, dist. 13, quæst. 1, art. 1, et quæst. 2, art. 1, et lib. 2 de Natura et gratia, cap. 16; Ledesma in 4, 1 part., quæst. 25, art. 5, dub. 4; et eandem sententiam fuse defendit Vega, lib. 6, in 6 sess. Concilii Trident., cap. 36 et 37; sequiturque hæc conclusio manifeste ex præcedenti; nam martyrium dicitur baptismus sanguinis, et remedium sufficiens ad salutem, deficiente baptismo aquæ, et ad supplendum vicem ejus, ratione effectus, ut declaratum est; sed hic effectus, respectu baptismi aquæ, est remissio originalis, et mortalis peccati, si adsit, et effectus gratiæ, etiam primæ; ergo oportet, ut martyrium possit hæc omnia dare; alias quomodo supplebit vicem baptismi aquæ? Aut quomodo salvabit hominem sine illo, cum non possit salvari sine remissione peccati, et gratiæ? Quocirca omnia, quæ adduximus ad priorem conclusionem probandam, hanc confirmant, nec plura videntur requiri. Fundamentum autem contrariæ sententiæ postulat multa tractanda in sectione sequenti, ubi et illud, et alia, quæ contra nostram sententiam objici possunt, dissolvemus.

SECTIO III.

Quam dispositionem requirat baptismus sanguinis in adulto, ut illi suum conferat effectum.

4. *Prima opinio.* — Duæ possunt esse opiniones extreme contrariæ. Prior affirmit ne-

cessariam esse contritionem, et consequenter charitatem elicentem, aut imperantem, vel saltem informantem et vivificantem opus martyrii. Hanc tenent auctores citati in prima sententia, sectione præced. Primam ac præcipuum fundamentum sumitur ex verbis Pauli, 1 ad Cor. 13: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Ubi ponderandum est, eodem modo loqui Paulum de insigni actu eleemosynæ, et de actu martyrii, et eadem legem de utroque statuere, quoad charitatis necessitatem, neque plus uni, quam alteri tribuere; sicut ergo actus eleemosynæ, quantumvis insignis in suo genere, et in quantitate rei donatæ, si non supponat charitatem, et aliquo modo ab illa procedat, nullius est valoris apud Deum, ita etiam mors, seu martyrium. Atque hoc testimonium confirmat expositio D. Thom., supra, quæst. 66, art. 12, ad 2, qui ex hoc loco Pauli colligit, baptismum sanguinis includere baptismum flaminis; et in corpore art. dixerat, virtutem Spiritus Sancti operari in baptismo aquæ per virtutem latentem; in baptismo penitentiae per cordis commotionem; in baptismo autem sanguinis per potissimum dilectionis actum. Requirit ergo D. Thom. dilectionem et charitatem, ut martyrium habeat baptismi effectum.

2. Unde argumentor secundo, nam juxta D. Thom. sententiam, hoc differt inter baptismum aquæ et sanguinis, quod in illo operatur Spiritus Sanctus per virtutem latentem; in hoc vero non, sed juxta mensuram dilectionis; ergo in illo operatur ex opere operato per virtutem latentem, quam addit ipsi operi; in hoc vero non ita; ergo non est, unde habeat martyrium vim faciendi hominem ex attrito contritum, quia ad hoc necessaria est virtus specialis Spiritus Sancti; ergo, ut aliquid conferat, necesse est, ut supponat hominem contritum.

3. Tertio urget ratio supra facta, quia alias martyrium daret gratiam ex opere operato, si posset facere hominem ex attrito contritum; consequens est falsum. Primo, quia alias esset sacramentum. Secundo, quia talis virtus martyrii, neque in nova lege specialiter ei data invenitur, neque ante Christi adventum illam habere potuit. Tertio, quia martyrium consummatur in morte, quando jam homo non est; ergo jam non potest illi dare gratiam; alias posset homo esse sine gratia

toto vitæ tempore, et in primo instanti separationis animæ a corpore justificari, imo et beatificari, ratione martyrii præcedentis, quod videtur absurdissimum; neque etiam potest dare gratiam ante instans mortis, quia nondum veram martyrii rationem habet. Quocirca Cano, ubi supra, constanter defendit hanc sententiam; imo addit, non sufficere ad consequendum effectum martyrii etiam dilectionem Dei super omnia, in eo, qui mortaliter peccavit, sed omnino necessarium esse formalem dolorem et contritionem peccatorum; existimat enim tam necessarium esse hujusmodi formalem dolorem ad remissionem peccati mortalis, ut sine illo nunquam remittatur, etiamsi adsit absoluta dilectio Dei super omnia, actu imperans martyrium. Sed in hoc excessit; non enim solum in casu martyrii (de quo statim plura), sed etiam absolute et per se, vera dilectio Dei super omnia supernaturalis et infusa, si contingat separari ab actuali dolore, est sufficiens dispositio ad gratiam obtinendam; nam satis est, quod virtute et voto dolorem includat; at hunc actum amoris Dei super omnia ab actuali dolore separari nunquam continget, nisi ex oblivione, ut latius in materia de pœnitentia dicendum est.

4. *Secunda opinio.* — *Primus modus explicandi hanc opinionem.* — *Secunda opinio* extreme contraria esse potest, martyrium nullam omnino dispositionem requirere, ut suum effectum conferat, præter illam voluntatem moriendi pro Christo, a qua martyrium imperatur. Quæ sententia variis modis doceri potest. Primo asserendo, per se, et non tantum per accidens, illam voluntatem esse sufficientem dispositionem; ita ut, quamvis homo, dum ad martyrium rapitur, actu recordetur se esse in statu peccati mortalis, non teneatur aliquam pœnitentiam agere, neque in aliis interioribus actibus occupari, præterquam in illa voluntate fundendi sanguinem pro Christo; nam hæc erit illi sufficiens dispositio ad gratiam et remissionem peccati obtinendam. Et hanc sententiam ita explicatam tenet Vega loco supra citato; et potest fundari primo, quia martyrium est per sese sufficiens medium ad salutem, non minus, quam baptismus, vel pœnitentia; ergo quando hoc remedium præsens adest, potest homo illo esse contentus, aliis prætermisissis. Secundo, quia actus martyrii est per se difficillimus; ergo, quando instat ejus occasio et necessitas, non est obligandus homo, ut ad exercendos alios actus divertatur et distrahat, ne virtus, in

pluribus divisa, in singulis fiat minor; poterit ergo se totum colligere, et in sola illa voluntate martyrii occupare, ut eam constanter, atque efficaciter eliciat; ergo illa dispositio ei sufficet. Tertio, quia illa voluntas est virtualis quedam dilectio Dei super omnia, et displicentia peccatorum omnium; ergo erit sufficiens dispositio ad effectum martyrii. Antecedens patet, quia per eam voluntatem homo contemnit propter Deum id, quod est in hac vita majoris æstimationis, nam dat vitam, ne Deum offendat, et diligit eum plus quam seipsum, et virtute detestatur Dei offensam super omne detestabile.

5. *Secundus modus explicandi hanc opinionem.* — *Secundus modus* docendi hanc sententiam esse potest, præter voluntatem martyrii requiri, per se loquendo, aliquam dispositionem ad effectum ejus, in eo, qui antea erat in statu peccati; nam in eo, qui est in statu gratiæ, ipsa gratia est sufficiens dispositio; ratio est, quia formalis pœnitentia est per se necessaria ad salutem. Addit vero duo hæc sententia, hanc dispositionem, per se requisitam, solum esse attritionem. Et ratio est, quia baptismus sanguinis est efficacior, quam baptismus aquæ, ut supra ex Cypriano et aliis Patribus referebamus; sed baptismus aquæ per se est efficax cum tali dispositione; ergo multo magis erit baptismus sanguinis. Et confirmatur, quia martyrium per se confert gratiam parvulis, absque alia dispositione; ergo per se etiam confert gratiam adultis, etiamsi non habeant majorem dispositionem, quam illam, quæ sufficit, ut non ponant obicem gratiæ; ad hoc autem sufficit attritio, quia sufficienter avertit voluntatem a peccato. Secundum est, per accidens ob inadvertentiam, seu oblivionem, posse sufficere voluntatem illam moriendi pro Christo, absque alia formali pœnitentia seu dispositione, ut si aliquis repente cogatur fidem confiteri, et totus in eo actu occupatus, omnino non recordetur actu vitæ præteritæ, nec status sui, et subito in eo actu interficiatur; tunc enim et ratione oblivionis excusabitur ab omissione pœnitentiæ seu alterius dispositionis, et ratione illius voluntatis moriendi pro Christo censebitur satis dispositus ad justitiam per martyrium obtinendam, propter rationes factas in priori modo.

6. *Tertius modus explicandi hanc opinionem.* — *Tertius modus* explicandi hanc sententiam est, per se loquendo, dispositionem necessariam ad effectum martyrii esse contri-

tionem et charitatem, ita ut si martyr sciens et volens illam omittat, nihil sit illi martyrium ad salutem profuturum, quia martyrium per se non aufert necessitatem aliorum mediorum; tamen ex accidenti, et ob ignorantiam intervenientem posse sufficere attritionem, quia alioqui nunquam martyrium daret primam gratiam; tantaque potest esse ignorantia vel oblivio, ut sola voluntas martyrii sufficiat sine alia positiva dispositione, dummodo non adsit actualis affectus ad peccatum, quia hoc satis est, ut non ponatur obex, et ut procedant aliæ rationes supra factæ. Et pro hac sententia sic exposita citari potest D. Thom., d. quæst. 87, art. 1, ad 2, dicens, martyrium purgare ab omni culpa et veniali, et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inveniit inhærentem; nam licet hæc verba ad quemlibet modum hujus sententiæ possint accommodari, tamen proprius et facilius juxta hunc posteriorem modum explicantur et verificantur. Nam qui, ob inadvertentiam naturalem, actum omittit, etiamsi alias illum efficere teneatur, ex hoc capite non habet voluntatem actualiter peccato inhærentem; et ideo, si aliunde non est in alio actuali peccato, hoc satis illi erit, ut per voluntariam martyrii mortem salvetur, juxta D. Thom. doctrinam; et hoc etiam optime accommodatur ad casum illum, de quo ibi D. Thom. sermonem habet, de homine dormiente in peccato, et in eo statu propter Christum occiso; hunc enim casum D. Thom. in argumento proposuerat, et licet in argumento solum loquatur de peccato veniali, in solutione tamen extendit sermonem ad hominem dormientem in peccato mortali; quem dicit per martyrium posse salvari, solum quia non habet voluntatem actualiter peccantem; supponit autem D. Thom. illam mortem esse voluntariam per aliquam voluntatem præcedentem; alioqui non haberet in adulto rationem martyrii. Pro hac etiam sententia potest citari Soto in 4, d. 3, quæst. unica, art. 11, in fine, quamvis ille non satis explicet, quo modo ex dictis hanc sententiam defendat, sed solum dicat, hunc actum: Volo mortem pro Christo perpeti, cum ipso exteriori opere sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum, quoad culpam et pœnam, si non opponatur obex complacentiæ alicujus criminis, et (quod amplius est) addit, martyrium hoc modo sufficere per modum meriti, quia volitio mortis pro Christo pro summa reputatur charitatis excellentia.

7. *Tertia opinio.* — *Tertia sententia* media esse potest, solam voluntatem moriendi pro Christo nunquam sufficere ad effectum martyrii absque alia dispositione, quia oportet voluntatem formaliter averti a peccato, vel converti in Deum; non esse tamen necessarium, ut hæc dispositio semper sit contritio vel amor Dei super omnia, sed sufficere posse attritionem, aut per se, aut per accidens, ob ignorantiam seu inadvertentiam, juxta varias opiniones supra tractatas. Quæ sententia sic exposita potest confirmari, quia in baptismo aquæ non sufficit voluntas ipsius baptismi ad effectum ejus absque alia dispositione; ergo nec sufficet in baptismo sanguinis, neque per se, neque per accidens, quia neutro modo sufficit in baptismo aquæ. Probatur consequentia, quia licet baptismus sanguinis fortasse excedat in perfectione effectus quem confert, tamen in virtute et promissione dandi effectum gratiæ et remittendi omnem culpam, non potest excedere; imo baptismus aquæ videtur magis per se ad hunc effectum institutus; ergo non est verisimile, non posse operari in subjecto æque disposito, aut e contrario, minorem dispositionem requiri cum baptismo sanguinis, quam cum baptismo aquæ.

8. *Prima conclusio.* — Dico primo: per se loquendo, tenetur homo, qui est in peccato mortali, instante occasione seu necessitate moriendi pro Christo, præmittere contritionem peccatorum per formalem detestationem eorum et dilectionem Dei super omnia. Unde, si voluntarie hoc omittat et sine ea dispositione moriatur, non salvabitur per martyrium. Hanc conclusionem existimo certam, primo ex generali ratione et obligatione charitatis, qua homo tenetur suæ saluti providere; nam, quod mors exterior pro Christo suscepta sufficiat ad remissionem peccati sine contritione, est quidem opinio speculative probabilis, tamen simpliciter est res dubia; et, si fortasse in re est falsa talis opinio, nihil ei proderit ad salutem, qui de tali opinione confisus sese sine peccatorum contritione morti exposuerit; ergo tenetur, saltem ex charitate propria, in re tanti momenti non relinquere medium certum pro incerto; tenetur ergo contritionem præmittere. Secundo est ratio a priori, quia occasio martyrii non tollit obligationem adhibendi media necessaria ad salutem; neque enim martyrium est veluti medium per se institutum ad tollendum peccatum, sed potius ex se supponit hominem